


1300^v Q. D. B. V. 26.
ELECTA
JURIS PUBLICI
CONTROVERSI,^{1707.6.}
^{D E} FEUDIS IMPERII,
PRÆSIDE
D. JOHANNE HENRICO
FELTZIO,
Pandectarum & Juris Canonici
Prof. Publ. Ordinario,
SOLEMNI Disquisitioni
sunt
Ad d. xxviii. Maii Anno M DCC VII.
HENRICUS ANTONIUS WILHELMUS
L. B. ab ULM, in Erbach &
Marbach &c.

ARGENTORATI,
Literis JOSIAE STÆDELII, Acad. typogr.



BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

EXERCITII PRÆSES.



Tiam si nulla omnino
pars prudentiæ juris
Nobilitatis etiam emi-
nentis diligentia studio-
que curationi indigna dici queat ;
illa tamen præ omnibus ab Illustri-
bus excoli meretur , quæ regiminis
in quaque Rep. formam ex LL.
fundamentalium tenore deducit ,

) : (2

&

& quid in statu publico juris esse
debeat, professa opera exponere sa-
tagit. **JUS PUBLICUM** voce
dudum in solennem scholarum u-
sum recepta insignitur, cuius disci-
plinam, quod de imperij imperan-
tiumque juribus, de regimine si-
premo, de familiis illustrium, de
omnibus denique, quæ illustria
sunt & eminentia, agat, doctrina-
rum omnium Reginam recte dice-
res. Famulantur illi, quæ de mo-
ribus, quæ de Rep. in universum,
quæ de temporum signandorum
ratione, quæ de locorum descri-
ptione agunt, quæ rerum publice
gestarum memoriam transmittit

ad

ad posteros, & multæ aliæ artes.
Nam in ipsa juris condendi expli-
candiq; notitia, uti nihil est, quod
non certa ratione ad splendorem
eidem conciliandum contribuat,
ita illud in primis caput hoc perti-
net, quod de FEUDIS eorumq;
Jure, de obligatione Domini &
Vassalli mutua, de servitiis militari-
bus & similibus pertractat. Est in-
primis in Germania, cuius notiti-
am & aliorum regnorum sibi sub-
diti merito comparare sat agunt,
arctissimus hujus doctrinæ cum Ju-
ris publici prudentia nexus, qui id
efficit, ut frustra soliditatem in hac
sibi policeatur, qui illius princi-

) : (3 piis

piis non est egregie imbutus. Ha-
buit extra dubium has instituti sui
rationes Per-Illustris atque Genero-
sissimus DN. Baro, quem fausto omi-
ne in cathedram solennem produ-
cimus, dum publice demonstratu-
turis, quam in ipso cum generis e-
minentí splendore, literarum de-
cus egregie conspiret, id potissimum
differendi sibi argumentum sum-
psit, quo vinculum continetur, pu-
plica pariter & Feudalia Jura in
Imp. Rom. Germanico luculentis-
sime connectens. Cujus equidem
materiae elegantia, uti insignem no-
bis auditorum in instanti exercitio
Academico pollicetur numerum;
ita

ita nulli dubitamus, quin Academæ nostræ Tutores, Patroni, Proceres atque Cives eidem sint ex animo gratulaturi, quod non tantum in sinu suo hactenus foverit, sed & in palæstra sua & certamine erudito conspectura sit germen eximum Familiæ Per-Illustris, ULMIANÆ ab una & REINACHIANÆ ab altera parte, quarum utraq; à pluribus jam sœculis illustrium in Principum aulis munerum eminentia, sumorum in bellico regimine officiorum splendore, & honorum in primis etiam ecclesiasticorum veneranda submissò animo dignitate omnis

Eu-

Europeæ Nobilitatis oculos in se
convertit. Nostrum est, qua quem-
que decet, ratione ad congressum
Academicum exempli rarioris con-
decorandum invitare, &, quod
superesse unice videtur, Univer-
sitatis nostræ splendorem, illustri-
bus in isthac festivitate radiis emi-
cantem, ut ad posteritatem integer
deveniat, &, quousq; terrena hæc,
perduret, ardentissimis DEO pre-
cibus commendare. Scribebam
d. xx. Maij A. C. M DCC VII.

Differis



Desseris, Imperii sint qualia Jura Cli-
entum,
Nec tibi materies aptior ulla
fuit.

Huc referes Cineres, per quos tibi vita tri-
buta est,

Quique Ministeriis Feuda tulere suis.
Sanguine pro pulchro Famam Majoribus
addis,

Et non dissimilis nosceris esse Nepos.
Gratulor & magnum, modo si mea vota
valebunt

Quid, tibi devotâ præparo mente De-
cus.

Præmia, queis celsâ quondam potieris in
Aula,

Sufficit hic humili promeruisse Schola.

F.
PH. FR. de BERCKHEIM,
Eq. Alsat.

Non




Non TIBI Nobilitas illustri stirpe
perennans,
Non tibi Gentis bonos longinqua
sufficit ingens;

Ipse brabea sacræ præstanti querere nisu
Virtutis gaudes. Penetras sacraria Legum
Purpureâ Ducibus Regni de sede datarum.
Magnum crede decus. Nutant jam lu-
mina Fama


Admixto risu egregij cupientia fœdus
Ingenij, cuius radiat rariſimus ignis.

Per Illustri D N. BARONI
de integro suo favore & am-
icitia hisce fidem facit

F. J. de KLINGLIN,
Eques Alsatus.



ELECTA



ELECTA
JURIS PUBLICI
CONTROVERSI
D E
FEUDIS IMPERII.

Præloquium.



Riennium ferè est,
Lector Benevole, cum
absolutis humaniori-
bus studiis Prudentiæ
Juris operam dare inciperem. At-
que hactenus & publicas Ante-

A cef-

cessorum in hac Academia Lectiones & privata quæ vocant Collegia frequentans animum tandem induxi & publice qualiumcunque profectuum meorum rationem reddere. Cæterum præ aliis argumentis se mihi exhibebat materia Feudalis, quam ut callerem, in primis mea interesse censui. Planè, postquam in ipso Jure Feudali diversissima iterum argumenta specialia occurunt, inter ea tamen palmam præripere videbatur, quod de Feudis Imperij agit. Evidem de his ipsis eruditum tractatum conscri-

scripsit Itterus, qui & occasio-
nem mihi præbuit, ut ad hanc
præcipue materiam dilaberer.

Verum sicuti vel ex hac ipsa
ratione, quod jam hic liber pu-
blice profet, non erat, cur per
modum systematis de Feudis Im-
perij tractarem; ita mihi quoque
placuit receptus ab aliquo jam
tempore mos proponendi con-
troversias, quem nondum nisi ab
ineptis censoribus haec tenus re-
prehensum animadverti. Dedi
autem id operam, ut eas potissi-
mum quæstiones mihi feligerem,
quæ vel in Ittero plane non ap-

A 2 pa

parent vel paucis tactæ ab ipso
fuerunt. Sit itaque

Controversia I.

*An pleraque aut omnia Imperij feuda ex voluntaria
Principum oblatione exorta sint?*

AD statum Controversiarum hujus elucidandum pertinet, notare, quod feuda duplices sint generis ratione originis; scil. alia dicuntur data, alia oblata. Priora sunt, quæ vasallus liberalitati & munificentiæ Domini fert accepta, ita ut hic illi in re, quam e.g. pleno Jure possedit, utille dominium concederit. Hæc vero originem suam à vasallis deducunt, qui fundos, quos integro proprietatis Jure suis habe-

habebant, ita obtulerunt aliis v.g. potenteribus, ut directum in illos dominium transferrent & bona, quæ antea ipsi ut allodialia possidebant, jam sub vinculo & nexu feudali possidere & ab aliis recognoscere inciperent.

Hic itaque controvertitur, cuinam possimum feudorum generi accensenda sint pleraque Imperii feuda? Posterioribus ea adnumerant *Severinus de Monzambano* personatus ille S. R. Imperij Satyricus, in tractatu de Statu Imperij Germanici cap. 3. §. 3. &c, qui si non auctor, tamen egregius semper dicti libri defensor extitit, *Celeberinus Puffendorffius p. m. in Dissert. Academica de Republica irregulari* §. 12. & 13. quos sequitur *Samuel Rachelius in Dissertatione de Capitulatione* cap. 3. thes. 9. Ex istimant hi: vel omnes vel plerasque Principum Imperii ditiones ab ipsis acquisitas primùm, postea Imperatoribus tantum fuisse oblatas, ita ut sub beneficiario vinculo sive feudali ab illis Principes possessores

A 3

eas

eas recognoscerent. Et sane dari tales ditiones statuum Imperii plures certum est; ita Comitatus Waldeckensis primum Hassiae Landgraviis, & ab his mox ipsi Imperio in feudum oblatus est. Conferatur Schoppius in thesauro Feudali cap. 1. Sect. 8. pag. 133. Posset etiam Comitatus Oldenburgicus adduci, qui in Anno 1531. Carolo V. Imperatori in Feudum oblatus esse asseritur à Duce Holsato Gottorpensi, cui tamen contradixit Dux Holsato Plönenensis; videatur Diarium Europaeum part. 25. pag. 154. & seq. Sed istam litem meam jam non facio.

Verum sicuti exinde patet ut & ex aliis exemplis, quæ adhuc adduci possent, non deesse in Imperio feuda oblata; ita inde tamen male concludunt Jcti supra nominati: pleraque vel omnia Imperii feuda esse talia. Quin imo ex historia deduci potest, Carolum Magnum Imperatorem & ex ejus stirpe successores, postquam sub jugum suum redegerunt plures provincias

cias, feuda in illis plurima concessisse, illis, qui in bello præclare præ aliis erant meriti. Ita de Carolo Magno ipso Aymonij continator lib. 5. cap. 1. hæc habet: ordinavit autem per totam Aquitaniam Comites Abbatesque plurimos, quos vassos vulgo vocant. Idem etiam de sequentibus Imperatoribus facile esset demonstrare.

Neque verò mirandum est, Monzambanum contrariam sententiam fovere & defendere, à Principibus potius, quam ab Imperatore Imperii feuda originem duce-re, quoniam hoc ipso hypothesis suam & causam firmat, qua intendit Cæsar's au-thoritatem deprimere, Principum vero potestatem extollere, ut inde corpus Rei-publicæ irregulare demum extruat.

Controversia II.

*An superioritas territorialis
statibus Imperij, qui sunt
va-*

vasalli Imperij simul, in
ditionibus suis competens,
ad feuda data an ad obla-
ta potius sit referenda?



D exponendam litis hujus speci-
em ante omnia præmittendum
est, superioritatem esse Majesta-
tem Analogam, sive potestateim, quæ
competit statibus, vel immediatis aliis Im-
perii, in ipsorum territorio. Dico esse Ma-
jestatem analogam, quoniam hæc pot-
estas non est absolute independens, sed
Imperii communibus legibus adstricta.
Hæc itaq; superioritas territorialis vel Jure
allodii potest vel Jure Feudi competere.
Prioris exemplum proponi potest in ci-
vitatibus Imperialibus, posterioris verò in
Statibus Imperii aliis, qui simul sunt vasalli.

Hic itaque quæritur, an hæc superiori-
tas territorialis competens Principibus
Imperii vasallis censeatur originem suam
de-

deducere à concessionē Imperatoris, an
potius ab oblatione Principum ipsorum
facta Imperatori vel Imperio.

Qui posterius adstruunt, recensent ex
historia Duces, Principes, Comites, ab an-
tiquo in Germania non fuisse nisi Magi-
stratus vel dicendo Juri vel bellis gerendis
à Regibus & Imperatoribus præfectos.
Postea autem facilitate, oscitantia, & si ita
loqui fas est, socordia Regum Imperato-
rumque effectum esse, ut, quas terras ab
initio possederant & gubernaverant no-
mine Regio ac Imperatorio, postea suo Ju-
re & ut patrimonium suum possidere in-
ciperent.

Hic itaque ajunt potestatem suam
nomine alieno exercitam sed postea sibi
appropriatam, Cæsareæ demum Majestati
& Imperio iterum in feudum obtulisse, eo
animo, ut eo firmius fundarentur impo-
sterum in possessione hujus suæ potestatis.

Verum potius tamen est, ut statuamus
superioritatem territorialem quoad plera-

B

que

que Imperii feuda non tam oblationi Principum , quam concessioni Imperatorum in feudum esse adscribendam. Licet enim negari non possit, ab initio hanc potestatem non fuisse nisi alieno nomine à Principibus exercitam, tamen cum postea illam sibi quasi propriam facere niterentur statutus Imperii, Imperatores, ne plane se eximerent vinculo Imperii, ipsis hanc potestatem in feudum concederunt. Quin imo demonstrari posset, ipsa officia Magistratum fuisse ab antiquo jam pluribus ab Imperatoribus concessa sub Lege feudi, sive conditione fidelitatis Vasallaticæ. Et sane si eo tempore, quo Principes Imperii ex potestate sua, quæ Magistratus erat, patrimonialem fecerunt, jam oblatio in feudum ita fuisse recepta communiter, nulla posset dari ratio, quare non certior & frequentior in consuetudinibus Longobardicis feudorum oblatorum facta fuerit mentio.

Controv. III.

Controversia III.

An Status Imperij, qui superioritatem territorialem habet Jure allodij, eam constatui in feudum offerre possit citra specialem Imperatoris consensum?

Pro negativa adduci potest; quod superioritas territorialis, etiamsi possideatur Jure allodii, tamen sit potestas, quæ subordinata est Imperio & dependet à Cæsare. Sane enim, qui dicit superioritatem, dicit potestatem non omnimodo independentem, alias enim Majestatis vocabulo uteretur. Itaque non videtur talis potestas pro lubitu possidentis in alium transferri posse sed potius requiri Imperatoris hac in re consensus.

Verum his tamen non impedientibus
arbitramur omnino licitum esse statui Imperii, qui superioritatem territorialem Jure allodii possidet, eam alii statui ex. gr. potentiori in feudum offerre. Etiam si enim haec potestas utique non sit plane independens, sed supremo Imperii Regimi- ni subordinata, & legibus Imperii universalibus adstricta, tamen patrimonialis est, & à Statibus Imperii, qui hoc nomine non sunt vasalli, Jure allodii, id est, pleno & integro possessa. Neque est, ut objiciatur Jus universi Imperii, à quo illa depen- det; id enim, etiamsi offeratur superiori- tas in feudum constatui, tamen prorsus manet salvum & integrum. Sane Status, cui offertur in feudum, plus Juris sibi arro- gare nequit, quam habuit ille Status, qui obtulit. Atqui hic posterior, etiamsi ti- tulo allodii habuerit superioritatem ter- ritorialem, debuit tamen dependentiam ab Imperio agnoscere. Quidni ergo & ille agnosceret, in quem fuit per oblatio- nem

nem in feudum translata? Quod si verò Jus omne Imperatori & Imperio manet in integro, & nullum per hanc oblationem fieri potest præjudicium, nulla utique ratio dari potest, ex qua demonstratur, consensum ejusdem esse necessarium, eo certe magis, quò certius constat, nullam hic reperiri legislationem, quæ consensum efflagitet.

Controversia IV.

*An, si quis terram recognoscat
in feudum non ab Imperatore & Imperio sed ab alio,
potestatem tamen territorialiem possit à Cæsare &
Imperio recognoscere?*



Egantum partibus favet, quod potestas hæc territorialis sit, adeoque territorio inhæreat & ter-

ræ, ita ut terra ipsa videatur quasi principale constituere, superioritas autem territorialis accessorium. Itaque videtur hic valere debere commune Juris Brocardicum: accessorium sequitur principale, sive quod idem est, à quo quis principale recognoscit, ab eodem & accessorium. Facit huc, quod supra dictum est, terras plerasq; Statibus Imperii ab Imperatore simul cum potestate quæ postea territorialis facta, fuisse concessas. Adeoque non videtur alia origo territorialium, alia verò potestatis territorialis commodè constitui.

Verūm hæc quidem nondum à me impetrant, ut à contrariâ recedam sententia, posse scilicet utique hæc simul stare: terram ipsam recognoscere in feudum ab aliquo, & potestatem territorialem ab alio. Neque enim hæc ita sibi sunt conne-
xa, ut separari nequeant, cum multi possi-
deant terras superioritate tamen territori-
ali omnino destituti. Itaque non est ita
gratis concedendum: territorium sive
ter-

ram & potestatem territorialem rationem
plane & omnimodo habere principalis &
accessorii. Quin ipsa praxis Jurispubl. re-
clamat, in qua exempla observamus plura,
in quibus quoad originem hæc sunt distin-
cta. Ita sancè Duces Würtembergici Duca-
tum suum à Domo Austriaca recognove-
runt, superioritatem territorialem à Cæsare
recognoscentes, vid. Reinking. de Regimine
seculari & Ecclesiastico lib. 1. class. 5. cap. 4.
n. 12. Strauchius exercit. Jurisp. 10. §. 21. Ita
Comitatus Wertheimensis terræ à diversis
Imperii Principibus in Feudum conferun-
tur, ipsam tamen superioritatem territoria-
lem & regalia Comites ab Imperio susci-
piunt. Facit huc Analogia Juris, quo dan-
tur plures terræ allodiales, in quibus ta-
men competentia Regalia recognoscun-
tur in Feudum ab Imperio, sive Feudum
Imperii constituunt, uti vel in Comitatu
Schauenburgensi videre est.

Controv. V.

Controversia V.

Si ditionem aliquam, cui Regalis dignitas annexa est, ab Imperatore recognosci constet, an præsumatur recognosci in allodium, an in feudum?

Pro priori allegari potest, quod in universum in dubio res censeatur potius esse allodialis quam feudaloris. Allodialitas enim est qualitas rerum communis & antiquissima, pro qua proinde militat præsumptio. Itaque communis Feudistarum est regula: illum, qui in Feudum rem recognosci asserit, debere id probare, cum constitutio feudi sit facti. Adducitur huc argumentum ex Jure Feudali 2. Feud. 26. §. inter filiam. conf. Klockius lib. 2. Consil. 7. num.

162.

162. & seq. Atque hanc præsumptionem plerique DD. adeo validam judicant, ut amplient eam & extendant etiam ad bona regalem dignitatem annexam habentia, ita ut allodialis præsumatur regio, quamvis Ducatus sit. Ita sane censet Klockius 3. Conf. 182. n. 654. & seq. Rein-king. lib. 1. de Regim. secul. & Eccles. class. 4. cap. 6. n. 40. Jcti Marpurg. vol. 4. Consil. 73. num. 551. & 566. Rosenthal. in tract. Feudali cap. 12. concl. 14. num. 15. Sixtin. lib. 1. de Regalib. cap. 4. num. 60. Besoldus Consil. 212. n. 2. Neque obstat, si vel maximè regalia quædam talis regionis ab Imperio Feudali Jure percipientur. Hic enim exceptio firmat regulam in casu non excepto, ita ut eò fortior militet pro natura allodiali cæterorum præsumptio. Sed & alias in universum non modo de bonis sed & de ipsis Regalibus præsumitur, quod sint allodialia. vid. Mynsing. lib. 5. obs. 25.

Verum ego tamen contrariam senten-
tiam, quæ pro feudo præsumit, meam

C facio

facio, ea præcipue ratione motus, quod
in Imp. Rom. Germ. communissimus mo-
dus sit Regalia & terras five ditiones Prin-
cipibus Statibusque Imperii conferendi,
qui fit per infeudationem, vid. Knichen. de
Jure territoriali cap. 1. n. 806. Unde ma-
xima datur feudaliūm Principatum at-
que Comitatuum in Imperio copia, quæ
longe superat numerum earum ditionum,
quæ allodiali fortè Jure possidentur. Ita-
que solent quoque Doctores feudistici
regulam illam, qua res potius præsumitur
allodialis quam feudalis, ad bona privato-
rum potissimum restringere, ita ut inde
excipient grosse Heri- und Graffschafften/ so
regalem dignitatem & omnimodam Ju-
risdictionem haben. Johan. Köppen Senior
Consil. 1. n. 25. Mozzius de natura feudi,
Schräderus *Conf. 13. n. 28. vol. 1.* Alioquin
magnum præjudicium toti Imperio exsi-
steret, si omnia præsumerentur allodialia.
Wesembec. *Conf. 4. n. 7.* Facit huc por-
ro regula: Imperator fundatam habet in-
ten-

tentionem, quod omnia castra & Jurisdictiones in Imperio sunt in feudum concessa, quam tradit *Ruinus Conf.* 22. n. 7. vol. 1. quam tamen ita universaliter positam forte non omnes concedent. Itaque restringi posset ad castra & Jurisdictiones, quas ab Imp. acceptas & recognosci constat. De cætero firmari potest hæc præsumptio generalis pro feudalitate militans per alias præsumptiones speciales accedentes ex. gr. quando fama publica viget, quod res sit feudal; item, quando Princeps afferit, talia bona suisse concessa in feudum; item quando possessor confitetur se talium bonorum respectu esse Vasallum; *Conf. Marscardus de Probationib. conclus.* 79. n. 13. *Mynsing. d. l. n. 7.*

Controversia VI.

An Status Imperij, si præfeturam aliquam aut por-

C 2 tio-

tionem notabilem, aut partem terrarum in literis investituræ Cæsareæ diserte expressam alienare velit in perpetuum, consensum Cæsaris requirere teneatur?

Negativæ id favere videtur primo, quod communiter tradunt: feuda Statuum Imperii fere ad conditionem patrimoniorum esse redactam; vid. *Consil. Marpurg. vol. 4. Cons. 16. num. 125.* Itaque ajunt, recessum esse à prohibitione Conradi, Lotharii, Friderici Imperatorum, quam circa alienationem feudorum promulgarunt, quoad Status Imperii, vid. *Dn. Andler lib. 1. decis. II. num. 6.* Imò amplius progrediuntur Jurispublici DD. & adstruunt, non esse deductas unquam has constitutiones quoad Principes

pes Germaniæ in observantiam, sed substitutum in primæva feudorum natura.

Verum existimamus tamen, omnino consensum Imperatoris requiri debere in proposito casu, tum, quia in universum tutius est, Juri Feudali ejusq; regulis in summis etiam Imperii tribunalibus receptis inhærere etiam quoad Status Imperii tamdiu, quamdiu non probatur exceptio & libertas specialis hoc nomine Statibus competens. Jam autem adeò non potest demonstrari, integrum esse, Principi Imperii ditionem, qualem diximus, citra consensum Imperatoris alienare; ut potius exempla plura possint adduci, in quibus fuit speciatim mentio fuit facta consensus Imperatoris. Sic enim, cum Rex Sueciæ Domui Brunsvicensi & Luneburgensi in pacificatione Noviomagensi cederet das Umlbt Irdinghausen/ quam præfecturam ille feudi titulo ab Imperatore & Imperio tenebat, cavebatur in den Nebens-Articlen/ id effecturum Regem cedentem, daß die

in Kraft gegenwärtigen Tractats abgetrenne
Lande von dem Kaiser und dem Reich als ei-
genthumlich/ oder zum wenigsten in der quali-
tät eines feudi promiscui, und wie die Kron
Schweden selbige in Besitz gehabt/ überlassen
werden möchten. Sic & Brunnemann. Conf.
1. num. 13 2. tradit, sine Imperatoris con-
sensu alienationem Præfecturæ fieri non
posse, & addit ampliationes duas, unam:
licet sibi alienans superioritatem & rega-
lia majora in illa præfectura reservasset; al-
teram: licet forte pactis non teneatur a-
gnatis suis.

Controversia VII.

*An Status Imperij possit al-
teri in terris suis citra Im-
peratoris consensum usum-
fructum constituere salvis
Juribus Imperij?*

Vide-

VIdetur negandum esse, quoniam alienatio feudi sine consensu Domini est in universum prohibita.

Jam autem alienatio omnem actum comprehendit, per quem Jus quoddam reale alicui solet constitui, sive id fiat per causam onerosam sive per lucrativam; vid. *Rosenthal cap. 9. de Feudis concl. 6. Et seqq.* Itaque Jure communi quoque Vasallus id facere non potest.

Verum non dubito tamen cum JCto *Illustri D. Rhetio lib. 2. Instit Jurifp tit. 29. §. 1.* hanc Imperii Statibus facultatem adscribere, saltem ita, ut ante omnia onera ferat usufructuarius, & secundo adjiciatur conditio, ne quid contra Cæsarem & Imperium faciat talis usufructuarius; & tertio non præcise detur usufructus in integro aliquo principatu sed in particula ejusdem; & denique, ut Jus transferatur tantum temporarium & revocabile.

Controv. VIII.

Controversia VIII.

*An Vasallis Imperij competit
facultas subinfeudandi ab-
soluta prorsus & libera?*

Rosset alicui hæc controversia vi-
deri constituere quæstionem Do-
mitianam, cum hæc facultas sub-
infeudandi ex Jure communi competit
omnibus Vasallis. Quidni ergo etiam Va-
sallis Imperii, de quibus jam dictum est,
quod liberiorem habeant circa feuda sua
dispositionem, quam alii Vasalli? Sed &
experientia constat, subinfeudationes ex
Imperialibus feudis infinitas dari in Impe-
rio; & integros Comitatus sub feudi ti-
tulo reperiri à Vasallis Imperii concessos.
Nam Electores & Principes ex gr. Comi-
tatus aut Baronias de Electoratu suo aut
Principatu decerptas aliis ut subvasallis
concedere solent & salvis regulis pruden-
tiæ possunt, quia hoc non obstante di-
gni-

gnitatem statumque suum ex reliquis di-
tionibus & terris adhuc splendide satis-
tueri queunt. Quin imò *Illustris Ictus*
Frider. Rhetius Institutionibus Jurispublici
lib. 2. tit. 29. §. 2. disertis verbis tradit, sta-
tus Imperii, si velint, integrum suum terri-
torium, salvo tamen Jure Imperii, aliis pos-
se concedere in subfeudum.

Verum videtur tamen subinfeudatio-
ni Vasallorum Imperii ex Analogia Juris-
publici aliquis modus esse constituendus,
ita ut restrictior in ipsis facultas sit, quam
in aliis. Itaque feuda ex gr. quæ dignita-
tem regalem annexam habent, vel prin-
cipalem statum, sive votum & sessionem
in Senatu Principum, aliis concedere non
poterunt quam iis, qui hujus dignitatis
sunt capaces. Porro quoniam Status Im-
perii conditio tali feudo Imperiali est in-
nexa, an cuivis extraneo id concedere
possint Vasalli Imperii, fortè non sine ra-
tione subsistas. Neque verò exemplum
ullum me vel legisse, vel audivisse adhuc

D

me-

memini, quod Comes aliquis dominium
utile Comitatus integri aut Princps ali-
quis Principatus sui integri alii in subfeu-
dum reliquerit. Esset ergo fortè distin-
guendum præterea inter subinfeudatio-
nem, quæ fit ex Principatibus &c. Imperii,
& quæ fit de Principatibus &c. in univer-
sum.

Controversia IX.

*An, si Principatus pars vel
Comitatus, vel Baronia
cuidam in subfeudum da-
ta etiam Imperatore non
requisito, & Principatus
Cæsari aperiatur, etiam
simul aperiatur subfeu-
dum?*

Pro

Pro apertura facit commune Bro-
cardicum: quod Juris est in to-
to, id Juris est in parte. Hic enim
supponimus partem quandam Principatus
fuisse datam in subfeudum. Quodsi ita-
que Principatus totus Cæsari aperiatur,
quidni & hæc ejusdem pars? Adde, quod
Status Imperii per subinfeudationem non
possit creare præjudicium Domino feudi
directo quoad Jus apertura feudi.

Verum hæc tamen me non impedi-
unt, quò minus negativam in me defen-
dendam recipiam, utique, si res illa, de
qua agitur, fuerit inter eas, quæ subinfeu-
dari solitæ fuerunt, sive, ut Jus Alemanni-
cum loquitur; si est de clypeis militaribus
Principatus &c. propriis; vid. Rosenthal
cap. 9. de Feud. concl. 94. Puta, si non hu-
jus tantùm Comitis familiæ sed jam ante
etiam aliis in feudum data fuerit, aut si ultra
hominum memoriam non aliter constet,
quam quod res hæc semper fuerit apud
alios & nunquam in corpore Principatus

libera, Conf. omnino D. Schilter. ad cap. 33.
Jur. Feud. Alemann. Quodsi vero Princeps Comitatum aut partem Principatus sui vel Baroniam de novo in subfeudum dederit, quam constat sub feudo Imperiali omnino contineri, tunc Imperator extincto seu aperto feudo non tenetur subfeudum ratihabere, aut subvasallo circa suum consensum investito relinquere.
Add. Capitular. Leopoldi Imp. Art. 21.

Controversia X.

An, si terra sit allodialis, Regalia autem sint feudi masculini, extinctis masculis cum terris & Regalia ad fœminas transeant?



Ræmonendum est, ad declaracionem controversie, de illo casu temere dubitari, ubi masculi adhuc

huc vivunt; ibi enim fœminæ nullum Jus
sibi arrogare queunt, cum feudum suppo-
natur esse masculinum; verum si masculi
extincti sunt, an non tunc Regalia ad fœ-
minas transeant, quæ terræ allodialis jam
possessionem habent, controvertitur.

Et quidem ab affirmativa parte stat
Besoldus Cons. 241. in eo præcipuum suæ
sententiæ fundamentum collocans, quod
Regalia cohærent ipsi territorio, ita ut ab
eo separari non possint. Unde censet quo-
que, transeuntibus terris ad fœminas seu
hæredes allodiales, Regalia penes mascu-
los remanere non posse, supposito sc. quod
fœminæ æque admittantur ad successio-
nem terrarum allodialium ac masculi.

Nobis autem contrariam opinionem
tueri placet, non quidem ex ea ratione,
ac si fœmina jurisdictionis aut regalium,
& successionis in illa per se &c qua fœmi-
na sit incapax; hoc enim falsum esse cen-
semus cum *Rosenthal. cap. conclus. 34.*
num. 9.

D. vobis

D. 3

V. e.

Verum ex eo principio, quod feudum
hic masculinum censeatur, quod masculi-
nis extinctis Domino potius aperiri judi-
candum est, quam ut ad foeminas trans-
eat, quæ ad successionem feudorum per
Regulam & analogiam Juris feudalis cen-
sentur inhabiles. Et falsa est hypothesis:
Regalia & territorium non posse separari
quoad personas possidentes, ita ut unus
terram, alter verò Regalia in illa terra po-
sидеat. Cum enim ex terra sive territorio
plura emolumenta possint percipi, non
tantum quoad Jurisdictionem & Regalia,
sed & quoad alia plura Jura; nil sane est
quod impedit, quo minus hæc jura à se
invicem separentur, & unus ex. gr. sit Do-
minus terræ vel allodialis vel feudalis, ali-
us verò regalia in illa terra possideat. conf.
quæ dicta in controv. IV. Huc porrò facit
analogia Jurispublici, ex quo constat, sæ-
pius uni Domino territorii competere in
vicini Domini territorio Jura plura, quæ
ideo servitutes Jurispublici vocari solent.

Controv. XI.

Controversia XI.

An Vasallus v. g. Comes Imperij, qui Electori superioritatem in feudum offert, ei subjiciatur quoad personam & terras & ipsarum Regimen?

Iceret quis, prima specie fundatam esse intentionem Electoris subjectionem Comitis prætentoris. Nam, cum antea talis Comes Imperii fuerit liber, & non nisi ab Imperatore & Imperio dependens, ita, ut & in subditos suos exercere posset facultatem imperandi; jam utique videri posset suam libertatem aliquatenus & Jus imperandi à se abdicasse, & in eum transstalisse, cui superioritatem territorialem obtulit, ut adeò jam certa ratione censi pos-

possit subditus fieri illius Electoris & se
eius Imperio subjicere, quoniam ei ipsi
Imperium, quod ipse habuit, videtur per
oblationem in feudum detulisse. Neque
consistere posse quis meritò statueret im-
mediatatem talis Comitis cum actu, quo
Jus sive Comitatum Electori in feudum
offert, eo effectu, ut jam recognoscatur ab
eo, quod antea ab Imperio recognovit.
Et quis dubitaret, terras ipsas jam subjici-
illi, cui superioritas in illas terras compe-
tens fuit in feudum oblata? Adeoque et-
iam regimen harum terrarum non jam ita
liberè & absolutè à Comite Imperii poten-
tit exerceri, uti antea; sed dependenter &
ita, ut in modo regiminis se agnoscat Elec-
tori subjectum.

Verum, utut hæc in speciem proposi-
ta leviter considerantis animum possent
reddere dubium; tamen, si quis attentius
rem perpendat, negativam firmioribus
fundamentis esse superstructam depre-
hendet. Est enim ante omnia probe di-
stin-

stinguendum inter Imperium quod ab altera parte ut correlatum supponit subjectionem, unde unus imperans alter subditus denominatur; & inter dominium rei vel Juris directum, quod ab altera parte dominium utile supponit, unde unus Dominus feudi alter Vasallus nuncupatur. Inde ergo plane non procedit argumentatio: ego dominium terrarum mearum directum obtuli alteri in feudum; ergo eidem vel terras ipsas vel personam etiam meam quoad Imperium subjecisse censeor. Hujus enim ratiocinii nullitas, & quod Vasallus non sit statim subditus Domini feudi, vel ex eo patet, quod in Imperio Romano Germanico non sit infrequens; regionum Dominos etiam ab inferioribus regionum Dominis, sive integras regiones, sive regionum particulas in feudum tenere; huc pertinet, quod *Ardizo in artic. sive capit. feudalibus habet §. 28.* Fridericum Imperatorem (qui hic intelligitur III.) cum ab initio Dux esset & pro Ducatu fidelitatem

E

fa-

faceret, divino nutu postea Imperatorem
creaturn, petita ab eo fidelitate pro Duca-
tu, petenti Domino respondisse non teneri
se fidelitatem facere cum omne hominum
genus fidelitatem sibi debeat &c. Sed
cum insidente feudi Domino de hoc con-
tenderetur; proceribus prudehter visum
est, feudum amissum esse &c. Aliud exem-
plum suppeditat *Ant. Weckerus in parte 2.*
der *Beschreib- und Vorschreibung Dresden*/
ubi exhibet König Wencels in Böhmen
Lehen revers wegen Dresden dem Stift
Meissen gegeben Anno 1300. Adde de Da-
niæ Rege feudum à Ducibus Luneburgi-
cis recipiente *Stryckium in examine Juris*
feudalis in appendice num. 18. Sicut itaque
ab Imperio in personam aut terras ad Do-
minium rerum non subsistit argumenta-
tio; ita nec à dominio rerum vel etiam à
dominio superioritatis, quod licet sit su-
perioritatis tamen hactenus vulgare est,
ad Imperium in personam Vasalli, *confer.*
annino Surdus dec. 288. n. 19. & seq.

Controv. XII.

Controversia XII.

An Ecclesiastici Imperij Principes in feudis Imperij succedere possint?

Vi istos à successione exclusos cipiunt primum omnium provocant, *ad textum Juris Feudalis Longobardici* 2. *Feud.* 26. *cap. 5.* ubi dicitur: qui Clericus efficitur, aut votum religionis assumit, hoc ipso feudum amittat; adde 2. *Feudorum* 21. Clarius adhuc textus est & specialius ad nostrum casum directus *in lib. 2. feudorum tit. 30.* ibi: ex hoc illud descendit, quod dicitur, *Clericum nullo modo in beneficium paternum debere succedere*, adde *lib. 2. feudor. tit. 36.* Atque, licet videatur in eodem Jure pro Clericis successoris pugnare, *lib. 2. feudor. tit. 40. §. ult.* ubi proponitur: Clericum velut Episcopum aut Abbatem benefi-

cium habere posse, eoque mortuo ad successorem ejus pertinere; duduim tamen ab interpretibus notatum est, ibi de feudo sermonem esse, quod ab initio datum fuit Clerico & Ecclesiæ; quo casu feudum omnino in Clerici persona consistere atque etiam successione ad Clericum devolui potest.

Verum inde non licet concludere; ergo & in aliis feudis, quæ secularibus personis vel militibus primo concessa fuerunt, Clericorum ex. gr. parentibus, etiam succedere possunt. Facit de cetero contra Clericos in quæstione nostra etiam cap. ult. extraord. & Jure & moribus receptum est Vasallum Clericali se militiæ dedicantem feudum amittere; scriptum est enim in Divinis eloquiis: miles Christi serviat Christo, milites seculi serviant seculo. Ampliatur hæc ipsa thesis porrò ita, ut, licet Clericatum deposuerit Clericus, nihilo tamen magis in feudo succedere possit, 2. Feud. 30. vid. Fichard. vol. 2.

Conf.

Conf. 29. Sed & negativæ patrocinari videtur analogia Jurispublici, postquam in *Aurea Bulla cap. 7. §. 2.* dispositum: Electoris secularis filium primogenitum, si Clericorum ordini sese adscribat, in Electoratu succedere non posse.

Verum propugnabo tamen sententiam ego contrariam, quæ statuit non tantum Principes Imperii Ecclesiasticos in illis feudis succedere, quæ primò Clerico concessa, adeoque ex prima feudi lege ad Clericos sunt devolubilia, sed etiam in illis, quæ ex. gr. Episcopo non qua tali sed ex hæreditate fortè paterna aut aliunde ordine successionis obveniunt. Sane enim primo plures sunt Doctores, qui generaliter negant: personas Illustres, si fiant Clerici, Feudis suis excidere, *vid. Rosenthal cap. 7. concl. 30. num. 826.* Sed & specialiter quod Imp. Rom. Germ. attinet, notum est personas Ecclesiastici ordinis opulentissima Imperii feuda possidere; ut ad eo sic merito quis statuat, aliud hæc-

nus Juris esse in Imperio, quam communiter alibi. Inprimis autem firmat nostram sententiam, quod tales principes Imperii non possint dici personam mere Ecclesiasticam sustinere, aut mere Clericos esse, sed imo simul secularem repræsentare personam, dum Status Imperii sunt, dum superioritate territoriali gaudent, dum regalibus fruuntur, & ad regimen Imperii Politicum ut membra simul regentia concurrunt. Possent itaque textus Juris Longobardici in illis fortè procedere Clericis, qui non sunt nisi Clerici & inferiori ordini atque conditioni hominum adscripti. At Principibus Imperii eorumque Juri derogare non videntur, postquam in primis praxis etiam atque usus nostri temporis affirmativæ sententiæ, quam nos tuemur, eximie suffragatur.

Neque est ut subjiciatur, tales Principes ex. gr. respectu feudorum, quæ à parentibus ad ipsos devolvuntur, & recognoscuntur fortè ab inferioribus, servitia
non

non posse præstare aut fidelitatem, cum
hoc dedecet dignitatem ipsorum Prin-
cipalem. Præterquam enim, quod per
substitutum servitia præstare queant, bene
est à Celeberrimo olim hujus Academiæ
Antecessore *Tabore in Comment. ad I. F. I.*
observatum: feuda quæ pares à paribus
aut inferioribus recipiunt anomaliam &
irregularitatem quandam induere, exole-
scente nimiæ submissionis respectu. Un-
de & ipsa fidelitatis promissio solet civili-
bus verbis temperari, & per mandatarium
ut plurimùm sive substitutum fieri, sicuti &c
ipsa servitia; ubi sanè Principalis inde ho-
nor nullum capit detrimentum; præci-
puè cum hæc omnia à Principe fiant non
qua Princeps est, sed qua Vasallus & po-
fessor feudorum à sua familia ad ipsum
devolutorum. Coeterum exceptio de Ele-
ctoratu, de qua supra in peculiati ratione
fundata est & firmat regulam in ca-
sibus non exceptis.





Llustres animas illustria pabula
pascunt,
Id videt ARGYROPE, dum TV,
comitante Minervâ
Cerneris augustâ Themidis discumbere
mensâ ;
Hic radiat Princeps , illic fulgore coru-
scant
Dux , Comes & Baro. Laudem sublimis
avitam
Spiras; DIVA dabit! Dignum te tollet
in aulam
Sydeream Famæ , celebri quæ propria
genti.

Paucula hæcce
Terillustris **DN. BARONIS**
singulare ingenij decus admirans ad-
jicit ejus Cultor perpetuus

JEREM. EBERHARD. LINCK,
J. V. C. Argent.

AD

AD

Per-Illustrem & Generosissimum,

DN. de ULM,

in Erbach & Marbach Dynastam &c.

De

FEUDIS IMPERII

disputantem.

A urea quis Sacri pingat Palatia Solis ?
Quis canat apta tuo splendori Carmina , Baro ?
Perstringunt aciem radiantia lumina Phœbi :
Obsequet illustri mea mens hebetata nitore
Laudum, quo decoris serie, quo stirpe coruscas,
Flos equitum , flos alme Virūm , qui stemmate ful-
gent !

Non numerare Duces, longaque propagine tractos
Fortes gentis Avos, quos incluta fama per undas
Per terras celebrat, tramitique per ardua suetos
Sistere virtutis, conor: per marmor & era
Sacratos orbi, generis qua facta perennant.
Ille sibi pontem per densa cadavera struxit,
Dum pugnando redux hostili strage cruentat
Victor humum. Istius Regum laus fulgurat aulis,
Quo sua jura tenent, Generoso vindice Leges.

F

Hujus

Hujus ad extremam, ut rutilans Hyperionis ardor,
Nomina se fundunt oram, venerata Monarchis.
At quanquam se jacet Avis TIBI gloria Gentis
Tantis: longinquum, Majorum innixa recumbat
Virtus ut titulis, nec gestis imagine prisca.
Ipse studebat probitate Tuos anteire Parentes.
Ipse etiam egregia Laudis succensus amore,
Astraam extollens, calcas vestigia Patrum.
Hinc olim TE grandis honos, & adorea Divos
Tangens expectat, Proavis dignissima Proles.

His
Per-Illustrem DN. Respondentem
veneratur

J. C. PFEFFELIUS, LL. C.




Straßburg, Drss., 1704-08

ULB Halle
005 359 848

3





130^o 26. 14. 17076.

Q. D. B. V.
ELECTA
JURIS PUBLICI
CONTROVERSI,
DE
FEUDIS IMPERII,
PRÆSIDE
D. JOHANNE HENRICO
FELTZIO,
Pandectarum & Juris Canonici
Prof. Publ. Ordinario,
S O L E N N I Disquisitioni
finit
Ad d. xxviii. Maii Anno M DCC VII.
HENRICUS ANTONIUS WILHELMUS
L. B. ab ULM, in Erbach &
Marbach &c.

ARGENTORATI,
Literis JOSIAE STÆDELII, Acad. Typogr.